DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA CIRCA VARIOLAS,

Quam in Auguſtiſſimo Ludovicæo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur Bernardus Magescas, è loco Sambuſſe, olim apud Aquitanos, nunc (Département des Landes) in almâ Univerſitate Toloſanâ, Artium Margiſter, & in famosâ Monſpelienſi Univerſitate Medicinæ Alumnus. Pro trimeſtri Januarii anni 1791.

VARIOLÆ peculiare genus puſtuloſorum exanthematum denotans, cum febre plerùmque conjunctorum, terminus pathologicus antiquis ignotus. In ſuppurationem benignam, ſi mites fuerint & bonæ indolis abeunt variolæ, vel in gangrænam, ſi peſſimæ. Externam corporis ſuperficiem non tantùm, ſed & os internum, fauces, ventriculum, viſcera occupare obſervatæ ſunt.

Diſtinctæ ſunt, vel confluentes, & in dictis invadunt rigor & horror, calor intenſus, capitis & dorſi dolor vehemens, vomituritio, in adultis ingens in ſudores propenſio, & hinc minimè confluxuras eſſe licet conjicere, dolor ſub ſcrobiculo cordis, ſi manu prematur, ſtupor & ſomnolentia, nonnunquàm & inſultus epileptici, in infantibus præſertim, quibus ſi, dentitione peractâ corripiantur, in procinctu eſſe variolas poſſis prædicere; ita ut ſi fortè inſultum epilepticum ſub veſperam patiantur, ſequenti aurorâ in conſpectum ſe daturæ ſunt variolæ, mites ut plurimùm & rariſſimè confluentes. Quarto incluſivè ab invaſione die, nonnunquàm ſeriùs, raro tamen antè illum erumpunt, quo tempore, vel minuuntur ſymptomata, vel prorsùs evaneſcunt. In eruptione autem ſubrubræ primo puſtulæ tenuiſſimarum acicularum puncta æquantes, ſparſim ſe produnt per faciem, collum, pectus & corpus univerſum; tunc in faucibus dolor, qui cum puſtulis ſurgentibus augetur.

Circiter octavum à primo inſultu diem intervalla puſtularum priùs alba

rubere jam incipiunt, in tumorem attolli, & dolore tenſivo affici, extenduntur palpebræ, & ut veſica inflata, oculos claudunt. Proximè à facie intumeſcunt manus, digitique diſtenduntur, puſtulæ faciei antè leves & rubræ, jam aſperæ, primum maturationis indicium, & ſubalbidæ apparent; ſuccum inſuper luteum, colore à flavo non abludentem evomunt, faciei & manuum inflammatio jam ſumma in puſtularum interſtitiis colorem exhibet floridum, quem quidem colorem, quò mitiores ſunt variolæ, eò magis tùm puſtulæ, tùm cutis interjecta ad amuſſim exprimunt; quæ faciem occupant puſtulæ, aſperiores quotidiè ac magis flavæ pro maturationis ratione, quæ manus & reliquum corpus minùs aſperæ albæque magis conſpiciantur in dies.

Die undecimo ſaniei tumor & inflammatio recedunt, puſtulæ & juſtam magnitudinem adeptæ exareſcunt deciduntque. Decimo quarto vel quinto pereunt funditùs, manuum puſtulæ pertinaciores, albæ adhuc & recentes die uno aut altero moras trahunt, & tandèm diſrumpuntur, cæteræ autem, faciei nimirùm & corporis diſquamantur, & in facie ſquamulis hiſce ſulfuraceis ſuccedunt foveæ. Per totum morbi decurſum alvus vel prorsùs conſtipatur, vel rariſſimè dejicit.

Maxima eorum pars qui ex hoc morbo pereunt, octavo die in diſcretis, undecimo autem in confluentibus intereunt: quippè cùm in diſcreto hoc genere promoventur ſudores tùm cardiacis tùm regimine calidiore, prædicto die facies, quæ turgida & per interſtitia puſtulis interjecta inflammari debuerat; è contrà flaccida reperitur, & albeſcens puſtulis nihilominùs rubentibus & elevatis, etiam poſt mortem ægri ſudor, qui hucuſque manaverat, derepentè evaneſcit, æger interim phrenetide corripitur, anxietate, jactatione, ægritudine, vehementibus, urinam parcè reddit ac frequenter, & tandem pauciſſimarum horarum ſpatio ad plures abit.

In confluentibus eadem ſymptomata, ſed atrociora, febris ſcilicèt anxietas, ægritudo, vomituritio, &c. immaniùs ſæviunt, licet non ità promptè, ac in diſcretis, in ſudores diſſolvitur æger. Diarrhæa nonnunquàm eruptionem præcedit, & ad diem unum aut alterum poſt illam protrahitur, quod in diſcretis vix contingit. Tertio in die aut citiùs, raro tardiùs, erumpunt; & quò citiùs, eò magis confluunt quandòque ad quartum vel quintum diem differtur eruptio ob atrox aliquod ſymptoma, v. g. acutiſſimum dolorem in lumbis nephritici æmulum, in latere pleuritici, in artubus rheumatici, in ventriculo cum ingenti ægritudine & vomitu. Non perindè, ac in diſcretis, mox ab eruptione remittunt ſymptomata, ſed & febris & alia ad multos etiam dies poſt eruptionem puſtularum ægrum diſcruciant: nunc eryſipelatis ritu, nunc morbillorum erumpunt, eruptionis licet tempore planè diſtinguatur. Creſcente morbo, non in molem aliquam ſpectabilem attolluntur; ſed in facie ſibi invicem implicitæ, tanquàm veſicula rubra vultum omnem contegunt, quem maturiùs elevant quàm diſcretæ; poſt modum ad inſtar pelliculæ vultui agglutinatæ cutis ſuperficiem non admodùm ſuperat. Præterlapſo die octavo, pellicula alba quotidiè paulatim magis exaſperatur,

colore fuſco : intenſus magis eſt dolor cutis, donec tandem in truculentiori morbo non niſi poſt diem vigeſimum latioribus laminis diſquamatur. Hoc interim obſervatu dignum, quod quandò puſtulæ matureſcentes propriùs ad colorem ſub fuſcum vergunt, eò deteriores lentiùs obſcedunt, quò magis autem flaveſcunt, eò minùs confluxerint, & ociùs ſe proripiunt.

Ubi primùm deciderit pellicula, nullâ ſcabritie vultus afficitur, at verò mox illam excipiunt ſquamulæ furfuraceæ, indolis per quam corroſivæ, quæ foveas relinquunt potentiores & ſæpè cicatrices. Quandòque humeri & dorſum cuticulâ denudantur, morbi periculum à puſtularum frequentiâ & numero in facie ſolâ, æſtimandum puſtulæ manuum & pedum majores, & quò altiùs ab extremitate artuum aſcenderis, eò ſenſim minore & contractiores extant. In adultis ſalivatio, infantibus diarrhæa, licet non certo confluentium comes. Ptyaliſmus nunc cum eruptione ſe prodit, nunc biduo triduove præterito, materiam primò tenuem, undecimo viſcidiorem ægerrimè excreat. Siticuloſus eſt æger, voce raucâ, ſomnolentiâ, & ſtupore ingentibus corripitur, inter bibendum ſubindè tuſſit, & pòtus per nares revertitur. Tunc ceſſat ut plurimùm ſalivatio, cui niſi faciei intumeſcentia, quæ licèt hoc ipſo die pro morbi genio aliquantiſper remitti debeat, non tamen niſi poſt diem unum alterumve omninò recedere debet, & manuum jam inſigniter incipiens & diutiùs perdurans ſuppetias tulerint, ægro protinùs moriendum eſt. Diarrhæa non ità maturè infantes occupat, ac ptyaliſmus adultos. In utrâque variolarum ſpecie febris ab inſultu ad eruptionem dominatur, indè dat inducias ad puſtularum maturationem, quâ peractâ, deſinit. Superveniunt à malo regimine ſymptomata anomala, qualia ſunt, puſtularum flacciditates & ſubſidentia, phrenitis, coma, maculæ purpureæ puſtulis interſperſæ, & in earum ſummitate maculæ nigræ exiguæ in medio ſubſidentes, ſanguinis mictus & ſputum ſub initio morbi, urinæ ſuppreſſio.

Separationis tempus cum febrili ebullitione tribus vel quatuor primis diebus tranſigitur : expulſio per reliquum morbi tempus, mediantibus parvis abſceſſibus, in carne perficitur. Die in quo maximè periclitatur æger, in confluentibus, in minimè crudo, maximè vulgari genere, à primo morbi inſultu, eſt undecimus, in crudiore adhuc, decimus quartus & in crudiſſimo decimus ſeptimus ; nonnumquàm tamen, ſed rariùs, non antè diem vigeſimum moritur æger. Quinimò per ſpatium illud omne, quod inter dies undecimum & decimum ſeptimum interjacet, appetente veſperâ, moleſtiſſimo inquietudinis paroxyſmo, quotidiè vexatur æger.

Nec animus, nec vires, nec tempus, neque arctiores hujus diſſertatiunculæ limites ſinunt ut omnia quæ ad hunc morbum pertinent expendam minutiſſimas iſtius peſtis diviſiones, complicationes, variam ejus naturam pro genio regnantis epidemiæ, & ſubjectorum peculiaris idyoſyncraſiæ, quædam ſymptomata, &c. de induſtriâ prætermittam. Attamen quamvis tenuitatis meæ probè concius, indulgentiâ & humanitate ill. Prof. fretus ad propoſita reſpondere conabor.

Dùm eumdem nomine morbum, tam diverſis ſymptomatibus ſtipatum incidere videret celebris *Mead*, commodiſſimam ſtatuit hanc variolarum diviſionem per quam in ſimplices & malignas diſtribuerentur Simplices maturantur, pus bonum colligunt, citò exſiccantur & decidunt. His febris initio adeſt ceſſans dùm variolæ erumpunt. Malignæ verò appellantur, quas febris maligna comitatur, cum anxietate, ſubitâ virium proſtratione, quæ non ſuppurantur, ſed potiùs in gangrænam degenerant, & ſæpè putridâ ſolutione humorum lethales ſunt, antè quam maturari potuiſſent, ſi meliorem habuiſſent indolem. Magis autem arridebat hæc variolarum diviſio huic viro egregio, quam illa in diſcretas & confluentes, quia & in diſcretis quandoque talis malignitas deprehenditur quæ mortem inopinam facit, licet minùs peritis lenis ſatis morbus videatur, & paucæ tantùm prodeant variolæ, uti ex obſervatione medicâ patuit ſæpiùs; quod idem ego aliquoties, æſtate præteritâ monſtrante fratre meo amantiſſimo, nec-non hujuſce Lycæi Doctori, obſervavi. Simul facilè patet, magni momenti in variolarum curatione eſſe, ſi hæc bina ritè diſtinguantur: longè animalia medendi methodus requiritur in morbo inflammatorio, quàm ubi malignum virus ſanguinem fundit cûm ſubitâ virium jacturâ. Utiliſſimam hanc hujus morbi diſtinctionem notavit *Huxam*. Attamen uſu jam obtinuit apud Medicos, morbum hunc in tria ſtadia dividere: primum eſt à morbi initio uſque ad papularum eruptionem: ſecundum à papularum eruptione incipit & durat donec papulæ in abſceſſum abiverint; tuncque incipit ultimum morbi ſtadium, quod dicitur adeſſe donec morbus deſinat in mortem, ſanitatem, vel alium morbum magnam utilitatem habet illa hujus morbi diviſio, cùm & ſymptomata differant diverſis his temporibus, & methodus medendi ſæpè mutationem requirat vario morbi tempore. Quò mitius ſtadium primum, eò lenius ſecundum; quò lentius erumpunt puſtulæ, quoque diuturnior ſtatus contagii, eò morbus levior; quò pauciores magis ſeparatæ, majores, plus à facie remotæ, candidiores & dein magis flavæ puſtulæ, quoque tardiùs procedunt, eô meliores; quò plures magis intricatæ, minores ſingulæ, magis in facie hærentes, fuſcæ, nigræve, citiùſque incedunt, eò pejores quò ſpatium inter puſtulas magis rubet, calet, tenditur, tumet, circà tempus abſceſſus, eò melior ſpes, ob circulationem hîc permanentem. Quod idem plus pollet, vel fuſcum evadit, eò pejus: angina ſequitur lethalis, aut peripneumonia, niſi ſalivatio liquida, vel ingens tumor manuum, pedumve acceſſerit. Si in locis inter puſtulas liberis maculæ purpureæ, lethalis gangræna deſignatur.

Omnes in praxi medicâ verſati, credo libenter agnoſcent, non adeò facile eſſe, ut in ipſo initio variolarum, morbus ab alio acuto inflammatorio diſtinguatur: hinc prudentes raro vel nunquàm abſolutè pronunciant in morbi principio, variolas ſecuturas eſſe, contenti monuiſſe, quod ſuſpicentur hunc morbum in ægro qui nunquàm anteà eum paſſus eſt.

Cùm autem cura incipientis hujus morbi talis ſit, ut ſatis conveniat aliis morbis acutis; hinc nunquàm nocebit illa tentare quæ profutura novimus ſi papularum eruptio ſequeretur. Dùm variolæ epidemicè graſſantur, omnes Medici de hoc morbo cogitant, ejuſque ſymptomata omninò obvia habent, nec facilè tunc ægros aggreditur hic morbus non prævíſus.

1°- In his conſiſtit cura primis ſtadii clyſmatibus, fatibuſque laxabitur tota cutis, os, œſophagus, inteſtina ſæpè: æger potabit multum aquæ tenuiſſimè farinoſæ, acidulæ, nitroſæ; victus erit tenuis: aër frigidiuſculus, modò iſtis auxiliis moderetur febris impetus, nihil ampliùs moliendum erit, ſed ſi ſymptomata graviùs urgeant, & remedia ſuperiùs recenſita, æſtum febrilem non mitigaverint, ſanguis mittendus erit. In robuſtis & edonibus venæ ſectio præcipuè locum habet. Pulſus ergò plenus, validus, durus, frequens, calor vehemens, ſitis, lingua ſicca, arida, reſpiratio laborioſa, facies prærubra, venæ ſectionis & omnis apparatûs antiphlogiſtici neceſſitatem ſatis ſuperque probabunt. Dolor capitis acutus, oculorum rubor inflammatorius cum ſenſibili arteriarum carotidum & temporalium pulſatione, cerebri aut meningum inflammationem præſagiunt aut comitantur. Tunc enim ſine ullâ morâ ſanguis ex pede mittatur, vena brachii juxtà *Huxamii* & optimorum Practicorum præcepra. Refrenato & ad juſtum moderamen febrili impetu redacto, emetica non ſolùm utilia, ſed urgentioris neceſſitatis in confluentibus variolis habentur. Luculentis rationibus & praxis quotidianœ felicitate abundè hoc probatur. Illud remedii genus laudant, commendant, imperant *Sydenhamus*, *Huxam*, *Eller*, *Cullenius*, & *Stoll*, &c. &c. inſuper plerumque illud auxilium ſigna ſaburræ in primis viis nidulante invocant. Non tamen ſemper eſt exhibendum, nam variolæ verè & unicè inflammatoriæ, ſicut omnes alii morbi phlogiſtici vomitoria reſpuunt. Summa etiam debilitas ab eis alieniſſima eſt. Nec ab emeticis, nec à purgantibus, neque à venæ ſectione deterrere debet (modo indicentur) papularum eruptio. In illâ enim circumſtantiâ, his patentibus armis hoſtem tunc non aggredi piaculum eſt. Varia prout ſe habet ægrotans, Expoſtulat artis molimina difficilis papularum eruptio: apparatum autem antiphlogiſticum quandò ab inflammatorio ſtatu impeditur. Deindè balnea, pediluvia, fomenta, cataplaſmata plantis pedum admota inſigniter proſunt. Emetica hoſtem foras protrudunt quandò à ſaburrâ primarum viarum & ſpaſmo peripherico concatenatur. Syſtematis nervoſi irritationis ſigna opiatica imperant. Tandem ad cardiaca & veſicantia verâ debilitate animoſè confugiendum eſt. Vinum in hoc caſu audacter exhibitum miros ſæpè præſtitit effectus.

Durante febre eruptivâ ſæpè accidit ut pueri convulſionibus prehendantur. Fauſti enim ſunt ominis convulſiones, modò tantùm unus aut alter inſultus ſuperveniat veſperè eruptionem præcedente. Aſt verò dùm ociùs apparent & cùm inſuper violenta ſunt & frequentes, ſine morâ ſiſti debent. Spiritus cornu cervi, aut adhuc meliùs narcotica, repetitis vicibus, & magnâ doſi

erunt exhibenda. Per febris eruptivæ decurſum, aut quod idem eſt, durante primo morbi ſtadio jam recenſita ſufficient remedia; ſed ſi poſt eruptionem peractam, papulæ tantùm numero paucæ & diſcretæ in facie ſe prodant, res in vado poſita eſt, & nullis ferè aliis medicamentis indiget morbus. Si è contrà variolæ numeroſiores & cohærentes faciem invadant, & ſi præſertim quintâ die febris non valdè remittat, intentis omnibus animi nervis adversùs hoſtem dimicandum eſt. Cùm febris, eruptione factâ, adhuc durat; calor æquè ac in principio vitandus, corpuſque aëri frigidiuſculo exponendum erit. In adultis quandò febris graviùs urget, & inſuper pulſus ſit plenus & durus, ſanguis mittetur, antiphlogiſticum purgans propinabitur, raro tamen venæ ſectio repeti poterit, collapſæ enim vires hanc iterare non ſinunt. Sed plerumque catharticum exhibere proſicuum erit, aut ſaltem clyſmata laxantia. Dùm proſtratio virium & diſſolutio putrida ſanguinis, cæterorumque fluidorum ſuis ſignis ſe produnt, ad corticem peruvianum magnâ doſi exhibendum confugiendum eſt. In illo autem caſu utile erit liberali manu acida mineralia miniſtrare. Vinum etiam ſat abundanter propinatum, tunc ægris conceſſum fuiſſe feliciſſimo eventu probavit obſervatio. Attamen fateri debeo me raro talia vidiſſe præſertim quandò maculæ purpureæ inter papulas exiſtebant. Anodina & opiata locum tantùm habent ubi nimio impetu furens morbus magnas creat moleſtias & tale lenimen poſtulat. Quandòque enim adeò mitis eſt variolarum decurſus, ut vix ullam medelam poſcant: ubi ergò lenis febris eſt, moleſtia exigua & multæ vigiliæ, nulla omninò ratio jubet, ut hæc adhibeantur. Facilè etiam patet, quod in illâ variolarum ſpecie, in quâ ſtatim omnes vires vitales projiciuntur & languent, opiata & anodina locum non inveniant. Tunc enim non incedit furibundo impetu morbus, ſed vires vitales oppreſſæ etiam longè medelam poſcunt (ſcilicet cardiaca). Interim circà anodinorum & opiatorum uſum non idem ſentiunt Medici celebres. *Sydenhamus*, uti notum eſt, illorum uſum laudat quam maximè & plures ex orci faucibus per opiata ereptos aſſerit. *Mortonus*, *Huxam*, *Swieten*, *Werlhof*, *Cullenius*, &c. &c. &c. illi aſſentiuntur. Optimos certè hujus remedii effectus egomet ſat ſæpè vidi. Cùm fideli obſervatione conſtet, circà noctem iſtius morbi exacerbari omnia mala & in primis moleſtiſſimam mentis corporiſque anxietatem, ideò circà quintam veſpertinam tale remedium propinatur ut præcaveantur hæ moleſtiæ; imò & quandòque tertiâ poſt meridiem horâ dandum, ſi præcedenti die citiùs exacerbata ſunt ſymptomata. Ubi incipit fatiſcere aſſumpti remedii vix quod poſt ſex vel octo horas ſolet contingere, ſi denuò recrudeſcant mala, tutò idem remedium repeti poterit, à die quintâ aut ſextâ per totum morbi decurſum pro re natâ adhiberi poteſt.

Modo diſſolutionis ſigna non appareant, cum lucta ſit difficilis & periculoſa veſicantia erunt potentiſſimum & nullatenùs ommittendum auxilium. Quandòque per morbi decurſum valdè tument fauces & difficilis deglutitio; quando ſalivæ & mucus viſcoſiores ægrè expectorantur, tùm veſicantia

nucæ ſunt admovenda & os gargariſmis deterſivis eluendum dùm febris ſecundaria variolas diſcretas ſequitur ſtipatâ pulſu duro & pleno ſicut morbus inflammatorius ſcilicet venæ-ſectione & minorativis purgantibus, curanda éſt. Sed febris ſecundaria in confluentibus ſuperveniens, plerumque é putridarum familiâ raro admittit phlebotomiam, cathartica vero uſurpari poſſunt & debent kina-kina & acida ſæpè etiam optima, modo prudenter exhibeantur, erunt remedia. Nullomodo in dubium revocari poteſt in hoç variolarum ſtadio purgantium effectus. Optimorum enim medicorum teſtimonio hæc veritas confirmari poteſt. Audiamus tantùm *Swieten*, de purgantibus differentem : « certè, ait, ſi mea obſervata addere liceat, can-
» didè fateri poſſum, quod & diarrhæam ſponte natam, dùm ſiccarentur
» variolæ, ſalubrem viderim ſæpiùs & blandis purgantibus datis ingentem
» copiam olidiſſimæ materiæ per alvum expelli, obſervaverim frequenter
» cum levamine magno & ſubitaneo omnium ſymptomatum febriſque
» imminutione notabili, ter quaterve, interpoſito unius vel alterius diei
» intervallo, hæc cathartica repetii, nec penituit unquam hæc tentaſſe.
» Imò ſæpiùs obſervavi plura mala quæ à variolis reſurgentibus contigerant,
» repetitis aliquoties purgantibus ceſſiſſe. » Quandoque in tertio morbi ſtadio fatiſcunt vires vitales, anxietas quidem magna adeſt, ſed pulſus debilis & inæqualis, facies paliefcit, extrema ſudore frigido madent : facilè patet tunc omne molimen adhibendum eſſe ut inſtaurentur vires vitales. Certè celebris *Huxam* dum hæc ſymptomata adſunt, vix nimis calida poſſe dari contendir numeroſa veſicatoria applicanda ſuadet : imò teſtatur ſe vidiſſe largam vini calidi copiam inſigniter profuiſſe.

Juxta plures optimos practicos, ſtatim atque exurgit febris ſecundaria ſive in diſcretis aut confluentibus variolis, emeticum antimoniale propinare, tali virtute donatum ut non ſolùm nauſeam, ſed etiam levem vomitum moveat proficuum erit plerumque, præcipue & ſemper modò vires ſinant quandò adſunt ſigna ſaburræ in primis viis nidulante. Prius enim, ſi ita res exigat, moderandus erit febrilis impetus urinarum evacuationem per totum morbi decurſum juvare conducit.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.